

diei 23 Augusti 1861 Sanctitas Sua clementer indulset, ut Ipsi generali Moderatori praememoratae piae Unioni de Urbe aggregare liceat cum Indulgentiarum privilegiorumque communicatione alias ejusdem tituli Uniones Locorum etiam in quibus alia jam existit ipsius tituli Unio, quatenus eas erigere Loci Ordinarius opportunum judicaverit, non obstante distantiae defectu, sed servata in reliquiis Constitutione sa. me. Clementis VIII quae incipit « *Quaecumque a Sede Apostolica* ». Item generali Moderatori facultatem elargitus est Sacerdotes subdelegandi ad effectum adscribendi fideles supraenunciatae pie Unioni iis in Locis, in quibus eadem Unio haud existit, ea tamen lege, ut adscriptorum nomina in Album primariae, seu vicinioris ejusdem tituli Unionis inserantur. Ac insuper supramemorato generali Moderatori concessit facultatem huic primariae Unioni aggregandi quoque Sodalitates seu Confraternitates canonice tamen erectas, licet alio titulo, aliove instituto distinguantur, addita tantum priori appellatione « *Ad levamen animarum in Purgatorio existentium* » servata pariter in reliquis supraexpressa Constitutione. Rectoribus vero uniuscujusque piae Unionis, nec non Sacerdotibus ut supra subdelegatis, ac in posterum subdelegandis pro fidelium adscriptione potestatem impertitus est benedicendi pro fidelibus adscriptis Coronas Sancti Michaelis Archangeli vulgo *Coronas Angelicas* cum adnexis Indulgentiis juxta Decretum Sacrae Rituum Congregationis diei 8 Augusti 1851. Et tandem idem Sanctissimus peramanter indulset ut praefatus generalis Moderator in aggregandis aliis Unionibus seu Confraternitatibus uti possit et valeat consueto diplomate quo hucusque usus est, dummodo in substantialibus cum Decretis hujus Sacrae Indulgentiarum Congregationis sub die 8 Januarii 1861 editis plene concordet. Praesenti perpetuis futuris temporibus valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 23 Augusti 1861.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.
A. Archipr. Prinziwalli Substit.

DCXCIII.

URBIS ET ORBIS

Cum fel. rec. Pius VI per Edictum Eminentissimi sui in Urbe Vicarii sub die 28 Februarii 1778 Indulgentiam centum dierum elargitus esset omnibus Christifidelibus, qui ad publica Xenodochia se conferunt ad charitatis actus erga infirmos exercendos, dubium exinde ortum est, utrum haec Indulgentia pro Urbe tantum sit elargita, vel pro Orbe universo, hinc Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX ad meas humillimas preces benigne declaravit, hanc concessionem non ad Urbem tantum, sed ad omnes totius catholici Orbis Christifideles extendi. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 23 Augusti 1861.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.
A. Archipr. Prinziwalli Substit.

DCXCIV.

BRIOCEN. ET TRECOREN.

Vicarius Generalis Episcopi Briocensis et Trecorensis sequentia dubia proposuit enodanda Sacrae Congregationi Indulgentiarum.

1.^o *Utrum Confraternitates ac piae Congregationes canonice erectae ante Concordatum anni 1801 in Ecclesiis et Oratoriis, quibus constat nunc Dioecesis Briocensis, hucusque, ut primum, suum valorem cum suis privilegiis et Indulgentiis servaverint, absque nova erectione, an indigeant erectione nova?*

2.^o *An sufficient declarationes quibus constat Ordinario habuisse, ut canonice adhuc existentes post annum 1801 praefatas Confraternitates, licet nullimode compertum sit eos Ordinarios habuisse voluntatem, vel etiam facultatem novam erectionem conferendi?*

3.^o *An viso authographo, vel datis probationibus moraliter certis primariae erectionis, possit, vel debeat hodiernus Episcopus Briocensis uti praedecessores ejus, dictas Confraternitates agnoscere et declarare canonice existentes, absque praevia facultate a S. Sede obtenta?*

4.^o *Si qua Confraternitas prius canonice erecta ex quacumque causa accidentali desit existere per plurimos annos, potuitne cessante causa valide instaurari denuo absque nova erectione canonica?*

5.^o *An Indulgentiae sive plenariae sive partiales certis locis vel operibus in Dioecesi Briocensi olim ante annum 1801 in perpetuum canonice concessae nunc etiam valeant et lucriferi possint servatis servandis juxta conditiones primariae concessionis, ea concessione non renovata?*

6.^o *Utrum 1.^o sufficiat in casu simplex instauratio Sodalitatis, an 2.^o necesse sit novam et canonicam erectionem noviter fieri.*

Sac. Congregatio Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita perpensis dubiis a Vicario Generali R. P. D. Episcopi Briocensis et Trecorensis expositis, primo, secundo, tertio, quarto et sexto dubio providendum censuit per sequentes facultates Apostolicas, quae praefato Episcopo Briocensi et Trecorensi tribuntur, nempe vigore specialium facultatum a Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. IX concessarum eadem Sac. Congregatio attentis ab Episcopo Oratore expositis, et ad effectum de quo in precibus eidem Episcopo facultatem indulget emittendi Decretum generale nomine Sanctae Sedis, quo omnes et singulae Confraternitates et Sodalitates quae in iis locis Dioecesis Briocensis et Trecorensis in quibus Concordatum 1801 extendebatur, ante illud legitimae existebant, et nunc etiam de facto existunt sub iisdem titulo, legibus, et habitu ubi gestare liceat, ad formam tamen Constitutionis Apostolicae sa. me. Clementis VIII quae incipit « *Quaecumque a Sede Apostolica etc.* » quaeque insuper noviter et canonice hucusque iterum erectae non fuerint, canonice et noviter erigantur ita ut in posterum tamquam canonice

existentes, nec non omnes et singuli Confratres et Sodales ante praefatum Decretum juxta uniuscujusque Confraternitatis et Sodalitatis alias legitima Statuta jam adscripti tamquam valide adscripti, nec non benedictiones et impositiones Scapularium etc. item benedictiones Coronarum, Rosariorum etc. tamquam ratae habeantur. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Ad quintum vero dubium eadem Sac. Congregatio respondendum censuit « *Affirmative, dummodo nulla ex iis causis intercesserit ob quas Indulgentiae suum valorem juxta canonicas regulas a probatis auctoribus traditas amiserint* ».

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 7 Septembris 1861.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.

A. Archipr. Prinzivalli Substit.

DCXCV.

TERTII ORDINIS S. FRANCISCI

Tre stati comprende il Terz' Ordine di S. Francesco. Il primo è detto Regolare, ed è quello che professa la regola del Terz' Ordine con voti solenni, e questo gode tutte le Indulgenze de' Frati Minori. Il secondo stato è detto Secolare, ed è quello che dimora nelle proprie case, di cui se ne conoscono i privilegi. Il terzo stato è quello che vive ne' Monasteri, Ritiri, Conservatorj, Collegj etc. formando una sola famiglia sotto la giurisdizione degli Ordinarj, diretto da Sacerdoti Secolari senza i voti sostanziali di Religione, benchè recitassero l'ufficio dell'Ordine. Ora si domanda alla Sac. Congregazione dell'Indulgenze, se questo terzo stato goda tutte le Indulgenze de' Frati Minori non solo, ma se le loro Chiese ancora in modo che i fedeli che visitano le medesime ai 2 di Agosto, conseguiscano l'Indulgenza della Porziuncula? Et quatenus negative s'implora la grazia nel modo esposto.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita supradicto quaesito respondit: Monasteria, Congregationes, seu

Communitates mulierum etc. quae subjectae non sunt obedientiae vel directioni Ministri Generalis Ordinis Fratrum Min. S. Francisci non gaudere communicatione privilegiorum et Indulgentiarum Ordinis nisi speciale habeant Indultum Sedis Apostolicae, vel nisi agatur de Monasteriis Sanctimonialium quae a cura et gubernio Fratrum suorum Ordinum sub immediatam Episcoporum jurisdictionem translata sunt, quae fruuntur cunctis privilegiis, et Indulgentiis ac si sub gubernio Fratrum suorum actu existerent juxta Decretum Sacrae Congregationis diei 22 Aprilis 1711. Quoad gratiam vero quae generice petitur pro Indulgentiis et privilegiis de quibus agitur obtinendis non expedire.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sac. Congregationis die 18 Septembris 1861.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.
A. Archipr. Prinzivalli Substit.

APPENDIX

SEU

ALTERA COLLECTIO

QUAMPLURIMORUM SUMMARIORUM INDULGENTIARUM

QUAE TAM PRO ALIQUIBUS ORDINIBUS REGULARIBUS

AC SODALITATIBUS

QUAM PRO NONNULLIS ECCLESIIS PISQUE LOCIS

A SACRA CONGREGATIONE

INDULGENTIIS SACRISQUE RELIQUIIS PRAEPOSITA

AUTHENTICE RECOGNITA SUNT AC PROBATA

AB ANNO 1668 AD ANNUM 1861

